



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Theosophia quam sit opulenta

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Porro humana sapientia prorsus abiecta & infima est; quia de visibilibus, & corporeis, & ijs quæ humanâ possint ratione ac intelligentiâ contingi agit: suiq; sectatores in infimis semper retinet, efficitq; vanitati deditos, vt non possint assurgere ad cœlestia contemplanda & amanda.

Theosophia quam sit opulenta.

Christiana Philosophia ac vera contemplatio est abundantissima; siquidem non implet modo, verum etiam copiosè inundat animam rationalem bonis spiritualibus. In ipsa enim Diuinorum contemplatione, ex illo potatur fonte Diuinæ essentiæ ac immensæ Beatitudinis, de quo quisquis biberit, non sitiet in æternum, eademq; contemplatio mentem cœlestibus replet intolletibus. 1. Cor. 4.

Atqui mundi sapientia inanissima ac summè indiga & inops, semperq; famelica est, nunquam exacians nec tranquillans animum. Quam qui biberit, sitiet amplius. Cui qui etiam penitus immoriuntur, nihil obtinent internarum animi diuitiarum, nihil salutaris ac veræ sapientiæ: sed manent miseri ac stolidi, seipos inaniter hominibus venditantes, vt sint in precio apud alios, cum apud Deum & in sua ipsorum conscientia nihil sint.

Theosophia quantum ditet ornetq; animam rationalem.

Christiana ac mystica sapientia est longè gloriosissima. Implet enim & decentissimè foris & intus componit, ornat & ditat hominem virtutum, morum, charismatum, donorum, beatitudinum & fructuum splendoribus pulcherrimis: nec vlla alia scientia perinde gloriosam, fecundam, locupletem ac illustrem reddit animam, non modo in hoc seculo, sed & in æternâ beatitudine. De qua præclare dicit Author libri Sapientiæ: Optaui, inquit, & datus est mihi Sap. 7. sensus: & inuocaui, & venit in me spiritus sapientiæ. Et proposui illam regnis, & sedibus, & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius. Nec comparavi illi lapidem pretiosum: quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. Super salutem & speciem dilexi illam, & proposui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile est lumen illius. Venerunt autem mihi pariter omnia bona cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius. Et latatus sum in omnibus: quoniam antecedebat me ista sapientia. Et ignorabam, quoniam omnium bonorum mater est. Quam sine fictione didici, & sine inuidiâ communico, & honestatem illius non abscondo. Infinitus enim thesaurus est hominibus: quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitia Dei, propter disciplinam dona commendati.

Contra verò mundi obscura sapientia multis & foris & intus hominem replet confusionibus, & perturbationibus, puta, infidelitate, hæresi, incantationibus, superbiâ, inuidiâ, lasciuia, blasphemâ, indignatione, &c. Vide Apostolum I. Tim. 6 ad Timoth. 11. Inde est, quod plerique omnes mundanæ sapientiæ addicti, pronissimi sunt in lites, concertationes, pugnas: unde oriuntur hæreses & mala innumera, dum alij alijs cedere nolunt, sed suam quique sententiam pertinaciter defendunt, inflati sensu carnis suæ, & spiritu tumidi. Quo fit vt difficilimum sit,